


PROGRAMM

des

Königlichen Gymnasiums zu Aachen,

IM HERBSTE 1858,

herausgegeben

vom

Director des Gymnasiums

Dr. Joh. Jos. Schön.

Inhalt:

Druck von J. J. Beaufort in Aachen.

Arieu

Theodorici, magni Ostrogothorum regis, contra calumniatorum insimulationes defensio.

Ante octo hos annos quum libellum scribebam, quo Ostrogothos suo iure Italiam occupasse probarem, saepe numero mecum cogitabam, quid tandem esset, quod multi iique egregii ingenio historici in iudicandis et rebus et rerum gestarum auctoribus magnopere dissentirent ac secum pugnarent. Sunt fortasse, qui interrogantibus nobis respondeant, fieri non posse, quin variis hominum voluntatibus varia sint iudicia ac studia, quumque alia rei publicae ratio ac constitutio discrepet ab alia, ad cuiusque hominis animum conformandum illam rei publicae rationem multum habere momenti. Scio quidem, vitae rationibus ac conditionibus singulos homines non parum esse subiectos atque obnoxios, sed quid impedit, ubi hominum res gestae et mores in disceptationem quaestionemque vocantur, quo minus loco eorum nos esse fingamus, de quibus agatur, ne parum acute agere videamur, quum de aliorum moribus rebusque gestis sive ex nostra vivendi agendique ratione, sive ex eius aetatis, qua vivimus, angustiis iudicemus.

Quantum quidem ad conformandos mores valeat educatio, quantumque rei publicae conditio et status, nemo est qui nesciat. Quamvis igitur cum Mureto, celeberrimo magistro et formatore morum consentiamus, educationem, quam dicit privatam, ea tantum respicere, quae simpliciter et absolute pulchra atque honesta sint, eamque bonos viros efficere neque pro rerum publicarum varietate aliam atque aliam esse, sed omnibus locis eandem — nullum enim esse locum, in quo non eos, qui boni viri futuri sint, ad iustitiam, ad fortitudinem, ad temperantiam, ad liberalitatem, ad omnem denique honestatem institui oporteat —: non minus tamen certum est, commutatis rebus, praesertim in omnium rerum eversione fortem virum alia, quam solitus sit, ratione in solem et pulverem procedere rebusque publicis consulere debere, modo ne a boni viri recedat consuetudine.

Nam quum res in discrimen adducta fuerit, utrum rem publicam babeamus incolumem, florentem, fortunatam, an male affectam, imminutam, debilitatam: nemo fortis certe dubitabit, quin praecipitanti, ne plane intereat, remediis quamvis acrioribus, quam aliis temporibus aequum esse videatur, pro viribus subveniat et opituletur, velut medici in extremis aegrotantium periculis saepe id agunt, ut medicamenta adhibeant quam violentissima.

Accedit ut non omnium hominum eadem sit ratio et necessitas, ut regum ac principum officia et necessitudines aliae quam civium sint, ut praecepta, quibns res publicae conformari debeant, non parum discedant ab iis, ad quae vita privata ac domestica solet accommodari. Nihil igitur ea opinione perversius est, qua regum consilia mentis nostrae angustiis esse metienda videantur, quae opinio apud multos ita inveteravit, ut reges summis etiam rei pnblicae difficultatibus obseptos et quasi circumvallatos iisdem, quibus ipsi contineantur, legibus adstringi existiment, quamquam isti homunculi ne sibi quidem ipsi consentiunt, sed res quum bene ac prospere cesserint, ex eventu, non ex voluntate probare solent.

De igeniis igitur magnorum virorum, et quantum profecerint, existimari non poterit, nisi prius in omnes vitae rationes inquisiveris; ubi vero de mortuis agetur, scriptorum auctoritas non populari quadam trutina, ut Ciceronis verbis utar, sed artificis statera examinanda erit. Nam quis est, qui suum decipi velit iudicium plebis literatae opinione, quae acrem se praebet bonorum et vitiorum aliorum iudicem, alienos mores refert ad suos, omnes homines ex sua fingit natura.

Eiusmodi scriptorum auctoritas plane nulla quidem est, sed libri multas tamen significant res, unde verum coniici possit narrationibus sagaciter investigandis, nulla praeiudicatarum temereque conceptarum opinionum habita ratione. Neque enim ad cognoscendas rerum rationes studium veri minus necessarium, quam historiarum cognitionem efficacem ad studium veritatis esse statuemus. Itaque fit, ut scriptorum significationibus vel secernendis, vel coniungendis et coniiciendis saepe in longe aliam, quam ipsi spectaverint, sententiam ducamur. Jam quum scriptores et oratores etiam acutissimi nonnunquam argumentis tam levibus nitantur, ut ex his ipsis in contrariam discedamus sententiam; quum Cicero, ingeniosissimus patronus, in Ligario et Deiotaro rege defendendis clientes suos innocentes esse ita argumentatus sit, ut ipsius argumentis accusatorum culpa facile probari possit: quanta tandem prudentia eorum scriptorum iudicia examinanda sint oportet, qui mediocri ingenio praediti non sine animi affectione vel perturbatione scripserunt.

Magnus hic campus aperitur disputandi. Sed iam ad eam accedamus disceptationem, ad quam haec omnis spectat oratio.

Nulla facile in annalibus est res, quae animum nostrum propius attingat, quam maiorum integra existimatio, et quum apud alios populos in suspicionem adducti fuerint, honesta defensio. Multi quidem fuerunt viri excellentes, qui rebus fortiter gestis omnem rerum publicarum statum immutaverint, ad conformandas civitates maximam habuerint vim ob eamque causam ex magna hominum dissensione vel praeclare de genere humano meriti esse videantur, vel societatis tyranni violentissimi habeantur. In illorum virorum numero Theodoricus, magnus Ostrogothorum rex, habetur, cuius mores ab adversariis, qui fortitudini obtrectare non poterant, multifariam velut barbari et improbi finguntur.

Jam quaeret fortasse quispiam: unde nata est illa de Theodorico dissensio? Nimirum ex factioso scriptorum Byzantiorum animo et cupiditate, quippe qui non vacui ab ira et studio in tanta civitatis suae imbecillitate ac debilitate barbarorum invictum et alacrem animum moleste ferrent.

Si verum est, omnem virtutem debere in actionem abire, nec sine actione virtutem vere dici haberique posse, virtutis autem fundamenta iam puerili aetate iaci solere et multum in utramque partem valere, quibus praeceptis et exemplis ingenium conformetur: facere non possumus, quin Theodoricum domi bellique partes susceptas egregie obtinuisse contendamus. Jam puer septem annorum Constantinopolim missus ibique decem deinceps annos in sede imperatoria commoratus non solum omnia bona et pulchra, quibus urbs abundabat, verum etiam vitia cognoverat et quanta in aula simultas, suspicio perfidiaque dominaretur, bene perspexerat. Nihil igitur mirandum est, quum haud facile quisquam tam bene a natura instructus sit, ut a vitiorum insidiis satis caveat et semper rectum teneat cursum, adolescentem corruptelarum illecebris esse irretitum simulque illud sermone tritum in animo retinuisse: „Haec olim meminisse iuvabit.“

Theodoricum praeclaris ingenii dotibus a natura instructum fuisse, et ex iis, quae memoriae prodita sunt, constat, et ex agendi ratione, quum rerum potitus esset, apparet. Accessit ad ingenii aciem, ad mentis perspicacitatem solertiamque mirus quidam adolescentiae vigor temperati victus consuetudine ita firmatus, ut nec deliciis, nec luxuria morumque licentia, qua in urbe erat circumdatus, ad libidinum intemperantiam trahi se pateretur, sed continentiam frugalitatemque per totam vitam teneret, quam rem ex iis, quae narrabuntur, videbimus.

His igitur virtutibus praeditus atque munitus, quum patre orbatus esset, in locum eius successit, quumque in omnium rerum pertubatione ac dissolutione novas intercessuras esse necessitudines bene perspexisset et utrumque imperium Romanum infirmius esse videret, quam quod novas

res posset prohibere: nihil aliud fecit, nisi quod alii viri, qui magni appellantur, omnibus temporibus fecerunt, ut opibus suis freti summam rerum susciperent gubernationem.

Tantum abest, ut imperium, quod dicimus Graecum, a barbaris gravissime vexatum esse negemus, ut non plane eversum esse admiremur, quod quidem ne fieret, barbarorum ipsorum discordiis, quae calliditate, astutia perfidiaque Caesarum Graecorum concitatae erant, impeditum est. Vix enim credas, quam insidiose et fraudulenter Zeno egerit, quantum a probitate et rectae rationis officiis aberraverit, quanta pertinacia aequum et rectum perverterit iustamque barbarorum invidiam et malevolentiam sibi conflaverit. Jam satis erit commemorare, Zenonem, qui et a populis Germanis, et a Basilisco aemulo ita pressus erat, ut non multum abesset, quiu et diademate et vita privaretur, amplissimos quidem in Theodoricum, a quo servatus esset, contulisse honores, sed paulo post ne a sceleratissima quidem proditione refugisse adeoque vitae eius insidias posuisse, ut gratae beneficiorum memoriae officiis solveretur.*) Jornandis **) quidem de illis honoribus verba barbara sunt: „Theo-
„doricum vero genti suae regem audiens ordinatum imperator Zeno gratum suscepit eique evocatoria
„destinata ad se in urbem venire praecepit dignoque suscipiens honore inter proceres sui palatii col-
„locavit. Et post aliquod tempus ad ampliandum honorem eius in arma sibi eum filium adoptavit
„de suisque stipendiis triumphum in urbe donavit, factusque est consul ordinarius, quod summum
„bonum primumque in mundo decus edicitur. Nec tantum hoc, sed etiam equestrem statuam ad
„famam tanti viri ante regiam palatii collocavit."

Ad haec Jornandis verba, ut Zenonis perfidiam dilucide perspiciamus, non ineptum erit adiicere, quae Malchus, ***) omni fide dignus scriptor, memoriae prodidit: *„Ὅτι συνθήκας πρὸς ἀλλήλους ποιησάμενοι Θευδέριχος καὶ ὁ Τριαρίου οἱ Γότθοι μὴ πολεμεῖν ἀλλήλοις, πέμπουσιν ἄμφω πρέσβεις ἐπὶ τὸ Βυζάντιον, ὁ μὲν τοῦ Βαλαμήρου* †) *τῷ βασιλεῖ ἐγκαλῶν, ὅτι προδεδομένος ὑπ' ἐκείνου τυγχάνει, καὶ ὡς τῶν συντεθέντων οὐδὲν εὑρὼν ἀληθὲς Θευδερίχῳ συμβαίη* cett. — *Ὁ δὲ (Ζήνων) Ἀδαμάντιον τὸν Βιβιανοῦ παῖδα, πατρίκιόν τε ὄντα καὶ πολιαρχήσαντα, προσθεὶς αὐτῷ καὶ τιμὴν ὑπατικὴν, ἔπεμψε περαγγείλας, χώραν μὲν αὐτῷ δοῦναι ἐν Παυταλίᾳ, ἣ τῆς μὲν Ἰλλυρικῆς μοίρας ἐστὶν ἐπαρχία, οὐ πολὺ δὲ ἀπέχουσα τῶν εἰσβολῶν τῆς*

---

*) Hist. Misc. p. 99 et 100.

**) c. 52, p. 279.

***) Excerpta de legationibus, p. 78 cett.

†) In hoc nomine Malchus labitur. Theodoricus noster *Theodemiri* filius erat, non Valamini. Valamir patruus erat.

Θράκης, ὅπως, εἴτε Θευδέριχος ὁ Τριαρίου ἐγχειροίη τι κινεῖν, ἔφεδρον ἔχοι αὐτὸν ἐγγύθεν κατ᾽ ἐκείνου, εἴτε αὐτὸς ταράττειν τὰ συγκείμενα θέλοι, ἐν μέσῳ αὐτὸν ἔχων τῶν τε Ἰλλυρικῶν καὶ τῶν Θρακίων δυνάμεων εὐκολώτερον αὐτοῦ περιεῖναι δύναιτο." — Respondit Theodoricus subdolo Zenonis legato: *) „Ἐγὼ μὲν ἔξω τῆς ὅλης Θράκης διατρίβειν ᾑρούμην, πόῤῥω πρὸς τὴν Σκυθίαν, ὅπου μένων οὔτε ἐνοχλεῖν ἐνόμιζον οὐδένα, ἑτοίμως δὲ βασιλεῖ ὑπακούεσθαι ἐντεῦθεν ἐς ὅ,τι προστάξειεν, ὑμεῖς δὲ καλέσαντες ὡς ἐπὶ τὸν πόλεμον τὸν πρὸς Θευδέριχον, πρῶτον μὲν ὑπέσχεσθε τὸν τῆς Θράκης στρατηγὸν μετὰ τῆς δυνάμεως εὐθύς μοι παρέσεσθαι, ὃς οὐδαμοῦ ἐφάνη, ἔπειτα καὶ Κλαύδιον τὸν τοῦ Γοτθικοῦ ταμίαν σὺν τῷ ξενικῷ ἥξειν, ὃν οὐδὲ αὐτὸν εἶδον, τρίτον καὶ ἡγεμόνας ὁδῶν μοι δεδώκατε, οἳ τὰς εὐπορωτέρας τῶν ὁδῶν ἐάσαντες τὰς εἰς τοὺς πολεμίους φερούσας ἀπήγαγον δι᾽ ὀρθίας ἀτραποῦ καὶ κρημνῶν ἀμφιῤῥόπων, ἐν οἷς παρὰ μικρὸν ἦλθον, σὺν ἱππεῦσί τε ἰών, ὡς εἰκὸς, καὶ ἁμάξαις καὶ στρατοπέδων κατασκευῇ, ἐπιθεμένων ἡμῖν ἄφνω τῶν πολεμίων ἅμα τῷ ἐμῷ πλήθει παντὶ ἀπολέσθαι καθάπαξ."

Haec verba nefariam significant fraudem, qua Zeno duos Theodoricos, Gothorum duces, alterum in alterum incitare et bello domestico ita eorum opes frangere in animo habebat, ut oblata occasione utrumque profligare posset. Neque minus aperte Zonaras impiam Zenonis notavit mentem: „Ἦν δὲ Ζήνων ἐξ ἔθνους αἰσχίστου, τοῦ τῶν Ἰσαύρων, αἴσχιστος δὲ αὐτὸς καὶ τὴν μορφὴν καὶ τὴν ψυχὴν γεγονώς· καὶ οὐχ ὡς βασιλεὺς τὴν ἀρχὴν ἀνύων, ἀλλ᾽ ὡς ἄντικρυς τύραννος. — Ἦν δὲ οὗτος ὁ βασιλεὺς ῥᾷστος μὲν πρὸς ἔντευξιν, καὶ ἀναπεπταμένας εἶχε τὰς ἀκοὰς πρὸς διαβολάς, ὀξὺς δὲ πρὸς ἀμύναν, ἀφειδὴς πρὸς χρημάτων ἐξάντλησιν, καὶ πρὸς συλλογὴν αὐτῶν ἀφειδέστερος. Τὰ μὲν γὰρ ἀνήλισκε εἰς οἰκοδομάς, τὰ δὲ ἵν᾽ αὐτῷ κατορθοῖντο ὅσα οἱ ἐτύγχανε πρὸς βουλῆς, τὰ δὲ εἰς πολέμους καὶ τὰς πρὸς τοὺς ἀντισταμένους ταῖς αὐτοῦ θελήσεσιν ἔριδας."

His et aliis, quae innumerabilia de Caesarum Graecorum mala fide delata sunt, **) indiciis cognitis facere nequeo, quin Theodoricum temere a multis reprehensum esse contendam. Nam sunt, qui Marcellini ***) vituperium secuti vehementer in Gothorum regem invecti sint, quod „Zenonis Augusti nunquam beneficiis satiatus" Graecos plus aequo vexasset. Sed diligenter reputandum est, et Marcellinum barbarorum regi subirasci, et Theodoricum, quod aperte agendo nihil quidquam profecisset,

*) Malchus, p. 83.

**) Cf. Malchus, p. 84.

***) Chron. ad a. 487.

saepius iisdem tantum artibus usum esse, quas in ipsa Caesarum sede didicerat. *Πολυμήχανον* vero magnum regem appellaverim, quam naturam vel virtutem potius in Ulysse Homerum valde laudare constat. Sin autem simulatorem et dissimulatorem eum fuisse arguant, nihil habeo quod respondeam, quam quod Q. Metellus Pius respondit, qui interrogatus quid postridie facturus esset, „Tunicam, inquit, meam comburerem, si putarem ab ea consilium meum detegi posse,“ et quod Franciscus I, Galliarum rex ingenuus, alioqui nimis apertus, dixit: „Qui nescit simulare ac dissimulare, nescit regnare.“ *) Quis est, qui Guilielmum Auriacum, quem taciturnum appellarunt, merito reprehendat, quod Philippi II, Hispaniarum regis, machinationes nullis aliis artificiis, quam quae ex ipsius regis consuetudine didicisset, disturbaverit ac confregerit?

An putas, Graecorum Caesari licuisse, omnem fraudem admittere, Theodorico non licuisse iisdem artibus perfido homini resistere? Nam qui, ut socium prodat, aliud agit, aliud simulat, perfidus et malitiosus est; prodidit vero Zeno, propulsavit eum Gothus. Neque enim iniuste agit, qui adversarii artificiis in ipsum convertendis iniuriam propellit, sed qui infert. Quumque Gothi acerbius in Graecos saevierint, gravissimae poenae causam ex irritationibus atque offensionibus, quae antecesserant, sempiternis exquires. Adde militum barbarorum, qui summa inopia premebantur, iracundiam, quam nonnunquam ne gravissimus quidem imperator comprimere poterat; **) adde furorem, qui in bellis cruentissimis nulla ope coerceri potest: tum demum iudicabis, utrum Theodoricus omni ex parte damnandus, an facile excusandus esse videatur.

Nolite igitur eum virum maculis adspergere, cuius ipsi dignitatem ac splendorem multis in rebus summum fuisse non negabitis. Sunt quidem, qui magnum regem omnibus oneraverint contumeliis et, quod in expugnanda Italia Zenonem decepisset dissimulationeque usus esset quam turpissima, callidissimorum consiliorum artificem fuisse dixerint. Sed caveamus regem in falsam atque iniquam probrorum insimulationem vocemus, neve eiusmodi clamatoribus assentiamus, qui, quomodo res se habuerit, aut omnino non cognoverint, aut de industria in peiorem partem mutaverint. Neque vero pauci sunt, quibus non dubium videatur, quin Theodoricus Italiam expugnatam suo iure retinuerit, *) et res quocunque ceciderit, ea certe est, de qua in utramque partem disceptari possit.

---

*) Mur. Op. IV, p. 62.

**) Cf. Malchus, p. 89.

***) Cf. Procop. b. Goth. c. 6, p. 402: *(ὁ Ζήνων) Θευδέριχον ἀναπείθει...... τῆς χώρας (Ἰταλίας) αὐτόν τε καὶ Γότθους τολοιπὸν κρατεῖν ὀρθῶς καὶ δικαίως.*

Jam videamus, quam prospensa in Gothos voluntate Theodoricus fuerit. Nam populi sui salutem potius, ut omnibus abundaret, quae victum cultumque suppeditarent, quam effeminatorum Byzantiorum commoditates spectabat, pui quidem babarorum sanguine, quam virium suarum contentione vitae opportunitates sustentare malebant. Primum quidem apud Jornandem *) legimus: „Inter haec Theodoricus...... dum ipse in urbe bonis omnibus frueretur gentemque suam in „Illyrico..... residentem non omnino idoneam aut refertam audiret, elegit potius solito more gentis „suae labore quaerere victum, quam ipse ociose frui regni bona et gentem suam mediocriter victi„tare." Deinde vero Theodoricus, quum Italia potitus esset, quanta prudentia incolumitati suorum prospexit, nulla maiore ad summum imperium adiuncta acerbitate, quam quae vitari non posset. Tantum quidem agri ut Odoacri milites **) victoribus concederent poposcit, quantum ad sustentandos Gothos necesse esset, tantumque a Romanis tributum, quantum iure belli exigi non iniquum esset: sed illam incolarum iacturam institutis utilitati accommodatis compensavit. Quum certum sit, summi imperii summum esse periculum neque unquam magnos viros tutos esse insidiis,

τῶν γὰρ μεγάλων ψυχῶν ἱείς (τις) οὐκ ἂν ἁμάρτοι, ***)

facile est ad intelligendum, Theodorici, cui nullus rex fortitudine in bello, pauci in pace prudentia praestiterunt, multos laudum obtrectatores et invidos in medium processisse, qui, quum magnus rex quid egisset, quod a vulgari opinione discrepare videretur, tragoedias excitarent quam molestissimas. Considerantibus vero cum animo suo, „in saeculo vitiorum ab omnibus partibus feracissimo ipsam vacuitatem a gravioribus peccatis sibi nomen virtutis vindicare," †) quantam laudem Gothorum rex mereri videbitur, qui in omnium rerum eversione, in tot terrarum calamitatibus, sive pacis, sive belli tempora spectamus, tanta igenii dexteritate et gentis suae et subiectorum saluti prospexerit, ut nemo probus tam plumbeus, ingratus, inhumanus esse possit, qui regem generosissimum aut contemnat, aut eius splendorem maculare velit.

Sunt quidem, qui Italiae vastationem Gothis eorumque regi crimini vertant, sed Ennodius ††) memoriae prodidit, Burgundiones potissimum, qui contra Theodoricum pugnassent, Italiam crudelissime vastasse, quam culpam malevoli quidam homines a Gunibaldo Burgundione in Theodoricum, quippe qui, ut animum ferocem incendiis, rapinis, vastationibus oblectaret, omnium malorum se-

---

*) Hist. misc. XV, p. 99.

**) Procop. b. Goth. I, p. 310.

***) Soph. Aiax, 153 et 154.

†) Fr. A. Wolf. narratio de Herod.

††) Panegyr. 10, 7.

minator fuisset, derivarunt. Sed videbimus, quantam in incolarum incolumitatem contulerit diligentiam, unde colligi poterit, inhumanitatem in Theodorici natura nullam fuisse, neque regem unquam, nisi necessitate coactum acerbius egisse. Legimus enim apud Procopium: *) *Δικαιοσύνης τε γὰρ ὑπερφυῶς (ὁ Θευδέριχος) ἐπεμελήσατο καὶ τοὺς νόμους ἐν τῷ βεβαίῳ διεσώσατο...... καὶ ἀδίκημα σχεδόν τι οὐδὲν οὔτε αὐτὸς ἐς τοὺς ἀρχομένους εἰργάζετο, οὔτε τῷ ἄλλῳ τὰ τοιαῦτα ἐγκεχειρηκότι ἐπέτρεπε, πλήν γε δὴ ὅτι τῶν χωρίων τὴν μοῖραν ἐν σφίσιν αὐτοῖς Γότθοι ἐνείμαντο, ἅπερ Ὀδόακρος τοῖς στασιώταις τοῖς αὐτοῦ ἔδωκεν.*

At quae tandem in Odoacrum, quocum pactiones et societatem imperii conflaverat, **) quae in Symmachum, quae in Boëthium agendi ratio fuit? Interficiendum scilicet Rugiorum regem curavit, qui de Gotho interficiendo cum multis coniuraverat. ***) Interfici iussit Symmachum eiusque generum Boëthium, aut calumniis inductus, Boëthio quidem et Procopio auctoribus, †) aut quod re vera res novas moliti erant. ††)

Quum vero illae narrationes vel in tenebris iaceant, vel partium studio quodam deformatae ac depravatae sint, tum omnis moderandae civitatis ratio, qua Theodoricus usus est, nullam apud nos dubitationem relinquit, quin in celeberrimorum, qui unquam res publicas gubernarint, regum numero sit habendus et dignus, qui posteritatis venerationi commendetur. Nam vere admiranda moderatoris industria fuit omnia officia tam strenue obeuntis, ut benevolentiae et iustitiae apud posteros vigeret memoria diuturna. Longum igitur est, vel minimam beneficiorum, quae in Romanos et Gothos contulit plurima, hoc loco enumerare partem; neque tamen facere possum, quin commemorem, quanta animi magnitudine, quamvis Arii doctrinae addictus, catholicorum fidem pro-

---

*) B. Goth. I, p. 310.

**) Procop. b. Goth. I, p. 310: *ὑπὸ διαλλακτῇ, τῷ Ῥαβέννης ἱερεῖ, ἐς λόγους ἀλλήλοις ξυνίασιν, ἐφ' ᾧ Θευδέριχός τε καὶ Ὀδόακρος ἐν Ῥαβέννῃ ἐπὶ τῇ ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ δίαιτῃ ἔξουσιν.*

***) Procop. b. Goth. I, p. 310: *καὶ χρόνον μέν τινα διεσώσαντο τὰ συγκείμενα, μετὰ δὲ Θευδέριχος Ὀδόακρον λαβών, ὥς φασιν, ἐπιβουλῇ ἐς αὐτὸν χρώμενον...... ἔκτεινε.*

Cf. Jornandes de regnorum successione, p. 60. Cassiod. Chron. Ennodius in Panegyr. 10, 5.

†) B. Goth. p. 310:...... *δόξης ἐπὶ μέγα χωρήσαντε ἄνδρας ἐς φθόνον τοὺς πικροτάτους ἐπηγαγέτην· οἷς δὴ συκοφαντοῦσι Θευδέριχος ἀναπεισθεὶς, ἅτε νεωτέροις πράγμασιν ἐγχειροῦντας, τὼ ἄνδρε τούτω ἔκτεινε καὶ τά χρήματα ἐς τὸ δημόσιον ἀνάγραπτα ἐποιήσατο.*

Cf. Boëth. Consol. I, pros. 4, p. 29.

††) Vales. Anonym. §. 85. Boëth. I, pros. 4, p. 32. Cassiod. V, 40. Hug. Grot. Proleg. ad hist. Goth. p. 32: „illud video, actum ibi non de religione, quae Boëthio satis Platonica fuit, sed de imperii statu.“

texerit, *) quanta religione Romanorum leges et instituta servaverit, **) quanta diligentia Gothos victores sustentaverit, ***) quanta denique clementia omnium incolarum commodis consuluerit. †) Nihil dicam de puerorum institutione literarumque cultu. Quam diversa tamen ac dissimilis, sed moribus accommodata Gothorum Romanorumque educatio fuerit, ex multis scriptorum locis satis intelligitur. ††) Neque adiiciam quidquam de aedificiis, de aquae ductibus, de operibus artificiosis, quibus plurimis Italiae urbes ornavit splendidissimasque reddidit. †††) Nihil amplius commemorabo, nisi admirabilem magni regis diligentiam et curam, qua imperium in omnes partes firmaverit, cives beneficiis cumulaverit.

Hanc ob rem non Gothi solum, verum etiam Romani Theodoricum beneficentissimum summa reverentia prosecuti sunt et amore; neque tamen defuerunt, qui omnium beneficiorum immemores, quod rex Arianus ab omni partium studio alienus nulli faveret, imperatori, qui Constantinopoli male dominabatur, temere addicti Gotho ut barbaro male dicerent. Sed „mortuorum vita in memoria vivorum posita est.“ ††††)

Jam restat, ut singulare illud Theodorici consilium paucis verbis attingam, quo quidem non bellis et pactionibus, sed coniugiis potius communem multorum regnorum societatem coniunctionemque paraturus fuisse dicitur. Ostrogotham enim filiam Sigismundo, regni Burgundionum heredi, in matrimonium dedit, Teudicon filiam Alarico, Visigothorum regi, Amalafredam sororem Thrasimundo Vandalo, Herminfrido Thuringo neptim ex Amalafreda; ipse Audelfredam, Chlodovici Francorum regis sororem duxit. Sed res longe aliter, ac speraverat, cecidit. Nam et multis bellis et successorum here-

---

*) Muratori Scriptt. III, p. 122. Mascov. II, p. 62—66.

**) Cassiod. Chron. p. 453. Baronius ad a. 493. Procop. h. arc. p. 76: *Ἰταλίαν γὰρ Θευδέριχος ἑλὼν τοὺς ἐν τῷ Ῥώμης παλατίῳ στρατευομένους αὐτοῦ εἴασεν, ὅπως τι διασώζοιτο πολιτείας τῆς παλαιᾶς ἴχνος* cett.

***) Procop. b. Goth. I, p. 308.

†) Cassiod. Variar. IV, ep. 2. VIII, ep. 21.

††) Manso, Geschichte des ostgothischen Reiches in Italien, p. 132—136. Cf. Procop. b. Goth. I, p. 312: *ἔλεγον δὲ ὡς οὐδὲ Θευδέριχός ποτε Γότθων τινὰς τοὺς παῖδας ἐς γραμματιστοῦ πέμπειν ἐῴη· λέγειν γὰρ ἅπασιν ὡς, ἤνπερ αὐτοῖς τὸ ἀπὸ τοῦ σκύτους ἐπιγένηται δέος, οὐ μήποτε ξίφους ἢ δορατίου ὑπερφρονεῖν ἀξιώσουσιν.*

†††) Cf. Manso, p. 124—126. p. 355, §. 22. p. 365, §. 36.

††††) Cicero Philipp. IX, 5.

dumque, qui a paternis virtutibus decedebant, miserabili imbecillitate spes magna evanuit et ad Caroli magni usque tempora iacuit.

Hac igitur spe destitutus deceptusque a multis, in quos beneficia contulerat plurima, quum sub vitae exitum in morositatem incidisset, *) mortem obiit Theodoricus, **) quo maior rex generosiorque vix reperiatur.

*) Commenticia et ridicula fabella est, quam in Hist. Miscell. XV, p. 103, legimus, et apud Procop. b. Goth. I, p. 310 et 311: *δειπνοῦντι δέ οἱ ὀλίγαις ἡμέραις ὕστερον ἰχθύος μεγάλου κεφαλὴν οἱ θεράποντες παρεϑεσαν· αὕτη Θευδερίχῳ ἔδοξε κεφαλὴ Συμμάχου νεοσφαγοῦς εἶναι· καὶ τοῖς μὲν ὀδοῦσιν ἐς χεῖλος τὸ κάτω ἐμπεπηγόσι, τοῖς δέ ὀφθαλμοῖς βλοσυρόν τι καὶ μανικὸν ὁρῶσιν, ἀπειλοῦντί οἱ ἐπὶ πλεῖστον ἐῴκει· περιδεὴς δὲ τοῦ τέρατος τῷ ὑπερβάλλοντι γεγονὼς καὶ ῥιγώσας ἐκτόπως ἐς κοίτην τὴν αὐτοῦ ἀπεχώρησε δρόμῳ· — — — ἀποκλαύσας δὲ καὶ περιαλγήσας τῇ συμφορᾷ οὐ πολλῷ ὕστερον ἐτελεύτησεν.*

**) Vales. Anonym. §. 95: „Fluxum ventris incurrit et dum intra triduum evacuatus esset, simul regnum et animum amisit.“

SCHULNACHRICHTEN.

A. Allgemeine Lehrverfassung.

1. Sprach- und wissenschaftlicher Unterricht.

PRIMA superior.

Ordinarius: Herr Oberlehrer Dr. **KLAPPER.**

I. **Religion.** a. *Für die katholischen Schüler:* Die Glaubenslehre, nach *Martins* Lehrbuche, Theil II. Wiederholung der wichtigsten Begebenheiten aus dem Gebiete der Kirchengeschichte in den ersten christlichen Jahrhunderten, nach *Martins* Lehrbuche, Theil I. 2 Stunden. Herr Religionslehrer SPIELMANS.

b. *Für die evangelischen Schüler:* Das System der christlichen Religionslehre, nach dem Lehrbuche von Dr. *Fr. Lohmann.* 2 Stunden. Herr Pfarrer NÄNNY.

II. **Deutsch.** Uebersicht der Entwickelung der deutschen Cultur und Literatur während der sämmtlichen Perioden derselben. Die drei ersten Perioden der Geschichte der deutschen Literatur bis *Opitz.* Die deutsche Literatur des letzten Viertels des XVIII. Jahrhunderts und des Anfangs des XIX. Jahrhunderts, mit erklärender Hinweisung auf einzelne Probestücke in der Sammlung von *Deycks.* Erklärung von zwölf Aventüren des Nibelungenliedes. Leitung der Privatlectüre. Correctur und Censur der monatlichen schriftlichen Arbeiten. Von Zeit zu Zeit mündliche und schriftliche Extemporalien aus dem Gebiete der Geschichte und der rationellen Gegenstände. — Aus der empirischen Psychologie die Lehre von der Einbildungskraft und einige Grundbegriffe aus dem Gebiete des höheren Erkenntnissvermögens. Die Entwickelung des Begriffes und encyclopädische Begründung und Uebersicht der Wissenschaft. 3 Stunden. Herr Oberlehrer Dr. MENGE.

Die Aufgaben zu den schriftlichen Arbeiten waren: 1. Der Uebel grösstes ist die Schuld. 2. Ueber den Werth der gründlichen Erlernung der Muttersprache. 3. Kann man zugleich Kosmopolit und Patriot sein? 4. Ueber die Pflicht der Wahrhaftigkeit. 5. Die geistige Kraft bewährt

